



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica

Quinque Tomis Comprehensa ... ; Cum Triplici Indice

De Deo Atque De Ejus Possessione Cum Triplici Indice

Ulloa, Joannes de

Augustae Vindelicorum [u.a.], 1719

Caput IX. Tres aliæ Quæstiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81382](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81382)

aut unionem. Verumtamen absolute, & omnibus pensatis, debet esse intrinseca homini, tum ob rationem, quæ communis est gratiæ excitanti, & sanctificanti, nempe quia ambæ sunt accidens; Ergo suapte natura debent inhærere alicui subjecto; nullum autem magis idoneum, quam illud, quod una prævenit, & altera sanctificat: Tum ob rationem specialem gratiæ prævenienti, & excitanti: quoniam hæc consistit in actu intellectus, aut voluntatis, & uterlibet utpote actus immanens, & vitalis, debet esse intrinsecè receptus in potentia sibi proportionata. Et quamquam Deus gratiam donans habeat pro fine subvenire humanæ infirmitati juxta Augustinum, non tamen quomodolibet, sed modo proportionato naturis rerum; Ergo uniendo intrinsecè potentiæ naturali, hæc accidentia, quia hæc unio est modus proportionatus illis: ergo quod hæc sint intrinseca potentiæ naturali non est superfluum absolute, nec adhuc attento fine, quem habet DEUS, ut ex nostra sententia inferre conatur Godoy.

CAPUT Ultimum.

Tres alia Quæstiones.

LXXXVII. **P**rima est: An lumen essentiale gloriæ in potentiis inæqualibus, inæqualem efficiat visionem DEI? Eadem difficultas est de cæteris comprincipiis supernaturalibus. Igitur, cum potentia intellectiva & volitiva angelica, sit longè perfectior entitativè, quam humana, non solum physicè quoad alia, verum etiam formaliter in sphaera intelligendi, & volendi (sunt namque Angeli, & perspicacissimi in cognoscendo, & immobiles suo modo in volendo, aut nolendo) disputant Theologi, num intellectus angelicus adjutus lumine gloriæ intenso ut octo v.g. (hoc lumen suscipit magis, & minus, & non est æquale in omnibus beatis) eliciat perfectiorem visionem DEI, quam intellectus humanus adjutus lumine etiam ut octo: & num voluntas Angelica corroborata per habitum charitatis, aut quodvis aliud adjutorium supernaturale intentum ut duo, eliciat perfectiorem actum charitatis, quam voluntas humana adjuta per similem habi-

tum, & similiter expedita ab aliis difficultatibus. Explicui hanc difficultatem in Prodomo Disp. 2. n. 23. Vide quæ ibi dixi fusius. Ex illis dico nunc, quando adjutorium supernaturale est æquale, potentia entitativè perfectior elicit actum charitatis, aut visionis DEI perfectiorem physicè, entitativè, ac materialiter; secus Theologicè, ac formaliter in ratione actus charitatis, aut visionis, id est, elicit actum magis perfectum entitativè, sed non magis intentum. Ratio primæ partis est: Omnis actio, quæ per suam essentiam habet nasci ex nobiliore principio, per suam essentiam est nobilior, cæteris paribus, in consideratione philosophica: Sicut enim in Republica Civili accrescit nobilitas filiis ex nobilitate parentum, ita in consideratione physicorum accrescit entitativa perfectio actionibus ex perfectione principii cæteris paribus: aliquid namquæ est, esse talis conditionis, ut non nisi ex tali speciali nobiliore principio descendere queat. At omnis actio hic, & nunc procedens ex potentia angelica, sive intellectiva, sive volitiva, per suam essentiam habet procedere ab illa, nè abeamus in infinitum actionum reflexarum, & hæc potentia angelica per semetipsam habet, esse perfectiorem humanam. Ergo omnis illa actio est physicè entitativè, ac in consideratione philosophica perfectior cæteris paribus, quam actio procedens ex potentia humana. Hac de causa dicere solent Philosophi. *Quò perfectior est potentia, eo perfectiores eliciet operationes, nempe cæteris paribus, & perfectiores physicè, & entitativè.*

LXXXVIII. Ratio secundæ partis est. Tum quia licet potentia Angelica naturalis, id est in ordine ad intellectiones, & amores naturales, sit perfectior, quam humana; potentia tamen obediens, id est in ordine ad effecta supernaturalia, non est perfectior, sed æqualis profus humanæ, quia tam cæcus, & improporionatus est Angelus secundum se inspectus ad visionem intuitivam DEI, quam homo: ea namquæ visio non minus est supernaturalis illi, quam huic: Sicut potentia visiva lincea, licet acutior humanam, & potentia auditiva apri promptior humanam, tam

impro-

improportionata sunt, quam hæc in ordine ad videndum, & audiendum rem distantem mille leucas, ut sic distantem; sed visio beata, & actus charitatis prodeunt ex potentia obedientiali, & non ex naturali, id est sunt operationes supernaturales, & non naturales, (adscribitur enim potentiae nomen operationis, unde provenit, quod incauti putent potentias multiplicari) ergo prodeunt ex potentia Angelica, quæ non est perfectior, sed æqualis humana; Ergo hæc operationes in Angelo non eo ipso sunt magis intensæ; nam hanc solam perfectionem disputamus modo. Tum quia quando ad effectum concurrunt simul duæ virtutes inadæquatæ, intensio, seu perfectio in sua sphaera non taxatur per virtutem inadæquatam illius principii, quod est indifferens ad influendum, & non influendum in eum effectum. Sic licet intellectus concurrat inadæquatè ad cognitiones naturales objecti A, non semper influit in has secundum ultimum potentiae, ut ajunt, & in quantum potest; sed juxta qualitatem, atque intensiorem speciei, quam habet, illius objecti; sic licet Omnipotentia concurrat inadæquatè ad omnes effectus creatos, & non sit principium liberum, sed naturale, non influit in eos secundum ultimum potentiae, sed juxta conditiones, atque naturam causæ secundæ, cum qua concurrat, nempe quia intellectus est indifferens ad influendum, vel non influendum in illam cognitionem, quæ indifferencia determinatur per speciem impressam illius objecti: & Omnipotentia indifferens ad productionem effectus A in tali specie determinatur per dispositionem, & exigentiam causæ secundæ; at licet potentia naturalis polleat virtute inadæquata ad effectum supernaturalem, est tamen indifferens, immo ex se sola prorsus improportionata ad influendum in illum, & hæc indifferencia aufertur, improportioque superatur per comprincipium supernaturale; Ergo licet potentiae naturales dispares sint, si tamen principia supernaturalia fuerint æqualia, effectus supernaturales erunt æquales intensivè in suo genere.

LXXXIX. Hinc primò maxima illa, quæ utuntur adversarii, nempe agens

R. P. de Ulloa, Theol. Tom. 1.

M m 2

naturale operari quantum potest, & secundum ultimum potentiae, est vera de agente naturali adæquato, & de illo, quod per se est determinatum ad talem operationem; secus de inadæquato, & quod non est sic determinatum; aliàs Omnipotentia, quæ ut talis, non est agens liberum semper operaretur quantum potest; At licet intellectus habeat virtutem inadæquatam ad visionem beatificam, non tamen est per se ab intrinseco determinatus ad illam, nec est agens adæquatum illius, ut patet: Ergo, &c.

CX. Hinc secundò, quando luminaria sunt inæqualia visiones intensivè sunt inæquales, licet potentiae sint æquales, quia intensio visionis non taxatur, aut limitatur per omne comprincipium ipsius, nec per quamvis subordinationem cujusvis comprincipii ad aliud; sed determinatè per illud comprincipium, quod per se est determinatum ad influendum in visionem DEI; At lumen est sic determinatum, non autem potentia naturalis. Ergo quidquid sit de æqualitate, vel inæqualitate hujus, nec non de subordinatione ad lumen gloriæ, visio erit magis intensæ, quo magis fuerit intensum lumen, & erit æqualis, si lumen æquale fuerit, supposito aliunde, potentiam esse capacem hujus æqualitatis, ac intensiōis. Vide cætera loco citato Prodrōmi.

XCI. Secunda quæstio est. An sit possibilis species impressa DEI? Species expressa, seu cognitio debet oriri ex potentia & objecto, sed quia multoties non oritur immediatè ex hoc, nempe ob distantiam, vel aliud simile impedimentum, idcirco assignare oportet qualitatem aliquam, quæ suppleat vices objecti, potentiamque determinet ad illud agnoscendum: Hoc aliquid dicitur species impressa, & quæritur, an sit possibilis respectu DEI? non est dubium de specie impressa aliena, quæ subservit cognitioni abstractivæ; nam defacto datur, & ope illius cognoscimus DEUM in hoc statu; sed de specie impressa intuitiva, & quidditativa, quæ inservit cognoscendo DEUM intuitivè, ac ut est in se. Rursus non est dubium, si dicatur consistere in lumine ipso gloriæ, ut multi censent

ajen-

agentes hoc lumen esse speciem impressam DEI. Quod & ego satis probabile reor, cum nullum appareat prædicatum in specie illa, quod non possit competere lumini gloriæ.

XCII. Dico ergò, possibilis est species impressa DEI subserviens cognitioni intuitivæ illius; non quæ suppleat absentiam, seù improportionem ipsius DEI, quia est impossibile, quod DEUS absit, aut sit improportionatus; sed quæ suppleat hujus voluntatem determinandi per se immediatè intellectum ad visionem beatificam. Sicut enim DEUS, licet intimè præsens nobis, & summè potens ad concurrendum immediatè in genere objecti ad sui cognitionem, tamen non sic concurrat in statu viæ nostræ immediatè in genere objecti, sed in genere causæ primæ, & universalis; ita potest non concurrere immediatè in genere objecti ad sui cognitionem intuitivam, id est potest non determinare per se immediatè nostrum intellectum ad eam cognitionem, sed tantum immediatè quidem in genere causæ primæ; immediatè autem in genere objecti, id est determinando per qualitatem à se productam intellectum nostrum, ut concipiat eam visionem. Ratio à priori est, quia in hoc non probantur duo contradictoria, quidquid laborent nonnulli Theologi detorquentes verba S. Thomæ, loquentis de providentia ordinaria, ad oppugnandam possibilem.

XCIII. Ob: primò. Per speciem inferioris ordinis nequit intuitivè cognosci objectum ordinis superioris, qualis est DEUS, quia unumquodque cognoscitur ad modum cognoscentis, & quia species debet esse ejusdem quidditatis cum objecto, & in eodem gradu immaterialitatis, & quia debet habere in esse intelligibili quidquid objectum habet in esse reali, & quia in ordine ad cognoscendum objectum præstat id ipsum, quod objectum præstaret. R. Negando ista omnia, si dicantur in sensu prorsus universali, nequè unquam Aristoteles, aut S. Thomas protulerunt ista in sensu penitus universali, ut exposui in Prodro-mo Disp. 3. cap. 2. & seq. Retorqueo in specie expressa, seù cognitione intuiti-

va, nec non in lumine gloriæ, quoniam hæc duo vel habent, vel non habent ista attributa. Si habent: Ergo sunt impossibilia, vel ambo identificantur cum DEO; si non habent: Ergo nequè species impressa; potiore namquè titulo videntur convenire ista prædicata ipsi visioni Beatificæ formaliter expriment DEUM intuitivè, ac quidditivè, quantum creaturæ permittitur, nec non lumini gloriæ elevanti potentiam, & determinanti illam ad nobilissimam hanc cognitionem, quam speciei impressæ.

XCIV. Ob: secundò. DEUS per se ipsum, & non per aliud est Sapiens, Omnipotens, &c. Ergo per se ipsum est proximè intelligibile; Ergo ipse est sua species impressa. R. dist. 1. conf. Per se ipsum est proximè intelligibile passivè concedo (quia in ipso DEO nil aliud requiritur, ut cognoscatur, quam ipse DEUS) activè nego, quia proxima intelligibilitas activa, id est qua intellectus creatus est proximè potens intelligere DEUM intuitivè, consistit in complexo ex omnibus immediatis prærequisitis ad producendum actualem visionem DEI; hoc autem complexum non identificatur cum DEO adæquatè, alias ipse intellectus creatus, & lumen gloriæ, identificarentur cum DEO.

XCV. Demum nota, quod illæ locutiones, species est semen, est Vicaria, est substitutum objecti, sunt meræ analogiæ; in analogiis autem non sunt omnia, quæ sunt in veritate; Unde nec inferitur in nostra sententiâ DEUM necessario producturum eam speciem, nequè hanc suppleturam absentiam ullam DEI. Rursus etiam verum est, quod etiam data specie illa DEUS concurrat immediatè ad visionem sui, & insuper esset objectum illius; at non sequitur DEUM concursurum immediatè in genere objecti, sicut ex eo, quod illa avis sit Mater, & sit tua, non sequitur esse matrem tuam, nempe quia termini conjuncti reddunt sensum valdè diversum ab eo, quem reddunt separati. Igitur concurrere immediatè in genere objecti significat, DEUM per se immediatè tollere indifferentiam intellectus ad videndum eum; sed licet DEUS concurreret im-

mediatè

mediate ad eam visionem sicut ad ceteros omnes effectus creatos: item licet sit ejus objectum expressum per eam visionem, tamen non tolleretur per se immediate indifferentiam intellectus ad producendum illam, sed mediante specie sui creata per se ipsum solum producta; Ergo licet concurreret immediate, & esset objectum, non tamen concurreret immediate in genere objecti. Deum concursum immediatum in genere causae efficientis nequit DEUS ulli creaturae delegare, quia omnis creatura habet per suammet essentiam nasci immediate ab Omnipotentia, & huic immediate subijci in esse, & conservari, & operari, & DEUS ipse per se ipsum est determinatus ad concurrendum immediate ad omnes effectus creatos ex hypothese, quod hi existant. Verumtamen concursum immediatum in genere objecti potest DEUS delegare huic speciei impressae, id est potest non per se immediate, sed per mediam hanc speciem determinare intellectum ad videndum ipsum DEUM, quia pendere à DEO hac specie concursus, non est essentiale omni creaturae, ut patet, neque est per se ab intrinseco DEUS determinatus ad tollendum per se immediate indifferentiam intellectus; Ergo licet nequeat delegare suas vices dictae speciei, quatenus hæc, & non ipse DEUS, concurrat immediate ad visionem, nec quatenus ipsa, & non DEUS sit *objectum expressum per visionem beatam*; potest illas delegare huic speciei, quatenus hæc, & non DEUS immediate determinet intellectum ad producendum visionem Beatificam.

XCVI. Tertia quæstio est: An sit possibilis creatura cui sit connaturalis visio beatifica? R. non est possibilis, cui sit connaturalis ratione connexionis metaphysicæ, quia non est possibilis creatura rationalis, cujus tanta felicitas non pendeat à DEO, ita ut ex hypothese, quod illa creatura existat, non sit beneficium DEI, quod fruatur tanta felicitate; atsi connecteretur Metaphysicè cum visione beata non posset DEUS hanc negare illi creaturae, ex hypothese, quod illa existeret, ut patet, & consequenter non esset beneficium, quod frueretur tanta felicitate: Ergo, &c.

R. P. de Villan, Theol. Tom. 1.

XCVII. Cæterum loquendo saltem, non per modum *thesis*, sed per modum *hypothesis*, possibilis metaphysicè est creatura substantialis completa intrinsicè supernaturalis, cui connaturalis sit visio beata: tum quatenus ipsi non sit supernaturalis, tum quatenus ipsi sit debita ob solam connexionem physicam, sicut igni est debitus calor. Ratio est, quia ex ista creatura purè metaphysicè possibili, non sequerentur duo contradictoria. Esset imprimis plenè subordinata DEO quoad propriam felicitatem, sicut ignis quoad habendum, vel non habendum calorem: eadem quippè sanctitate ac felicitate qua DEUS annuit, potest renuere exigentis creaturae. Est quidem visio beatifica supernaturalis respectu omnium creaturarum defacto existentium, & his similium; non autem respectu omnium possibilium, cum possibles sint creaturae longè perfectiores, quam hæc omnes. Esset insuper naturâ suâ felix, & impeccabilis, non sicut DEUS, quia hic poterat illam spoliare visione, sicut ignem calore, & in eo casu non esset felix, nec impeccabilis, aut indefectibilis, undè non esset felix naturâ suâ vel beata, vel regula morum, vel indefectibilis: *naturâ* inquam *suâ* id est ratione identitatis, aut metaphysicæ connexionis cum his attributis, sed ratione solius connexionis naturalis quam DEUS infringere poterat. Deniquè defacto datur unio hypostatica, quæ est creatura substantialis, suapte natura connexa cum visione beata; non utique sibi danda, sed animæ Christi. Item defacto datur complexum sex intellectu creato, & lumine gloriæ, cui complexo est debita visio beatifica, ita ut sine miraculo negari non possit, in quo exemplo retorquentur, & enervantur omnia argumenta contraria: Et sicut unio hypostatica, & lumen gloriæ sunt beneficium, favor, & gratia Divina, ita esset beneficium concedere terminum exigentiam illi creaturae.

XCVIII. Ob: 1. Arriaga. Divinæ Omnipotentia est proprium habere in thesauris suis quædam accidentia tan nobilia, ut nulli substantiæ creatæ sint debita, quinimò sit gratia, & favor specialis. At si aliquod accidens est hu-

jus.

jusmodi, maximè visio Beata. Ergo, &c. R. probat hæc ratio visionem beatam non esse debitam hypostaticæ unioni, nec complexo ex lumine gloriæ, & intellectu creato, quæ sunt entitativè creaturæ. Quod si dicas, esse creaturas supernaturales, idem dico de illa creatura possibili. Nego igitur majorem, quàm cum de ratione omnis accidentis sit esse ens in alio, seu ens aliùs entis, potius videtur consentaneum naturæ omnis accidentis quantumcumquè supernaturalissimi, quod alicui substantiæ sit proportionatum. Nec propterea exhauritur Divina munificentia, quasi nil possit dare substantiæ illi supernaturali, quam dicimus possibilem, quod illi non sit debitum, tum quia poterat ei dare unionem hypostaticam minimè debitam, tum quia poterat deberi illa visio beata ad tempus definitum (hoc quippè sufficit nostræ conclusioni) & poterat Deus concedere visionem in infinitum, nec non magis intensam; tum quia cum debitum hoc sit plenè subiectum Divinæ voluntati, cui omnia debita purè physica, & naturalia minus sunt quàm nobis araneorum fila, favor prorsus esset, ac gratia ei debito indulgere; non quidem tanta, quanta esset si non daretur illud debitum; sed hoc probat non omnes favores, & gratias DEI esse æquales absolute, & simpliciter, ut revera non sunt.

XCIX. Ob: secundò. Ex nostra sententia sequitur possibilem esse etiam creaturam, quæ propria virtute possit patrare miracula. Item quæ propria virtute possit justificare, seu producere in se, vel in alio gratiam sanctificantem. Item cui connaturalis sit unio hypostatica cum aliqua Persona Divina, item quæ esset filia naturalis DEI, quia suapte natura haberet sanctitatem, & consequenter filiationem DEI, quæ non esset adoptiva, quoniam non ex debito, sed ex indulgentia tantummodo adoptio datur juxta Concilium Francofurt. illa autem sanctitas esset illi ex debito, immo propter hanc ipsam rationem non esset sanctitas; nec gratia juxta Apostolum, quia esset à Deo data ex debito.

C. & ad 1. dist. Miracula, quæ superarent vires omnium creaturarum,

Implicat in terminis; quæ superarent vires rerum præcisè naturalium concedo: quia non est absurdum unam creaturam posse facere id, quod superat vires multarum aliarum specierum, quia quilibet homo potest facere cognitionem, & amorem, quæ à tota classe rerum irrationalium fieri non possunt, & sicut potentia naturalis adjuncta principio supernaturali potest elicere conversionem salutarem, & consequenter anime resurrectionem, cur non erit possibilis creatura, quæ propriis viribus adjuncta tamen concursu DEI, queat suscitare mortuos v.g. sicut Angeli per Deum adjuti stupenda quædam opera edunt perita velocissimum motum globorum celestium, quæ superant vires omnium agentium sublunarium.

CI. Ad 2. nego sequelam, quia justificare se, vel aliam id est producere in se, vel in alio sanctitatem, item creare animam rationalem, & hujusmodi aliam alti sunt ordinis, ut omni creaturæ repugnet juxta communem Theologiam recurrentem pro his effectibus ad solum Deum, non autem habere exigentiam naturalem ad visionem beatificam, quia defacto dantur duæ species creaturarum, nempe unio hypostatica, & complexum ex intellectu creato, & lumine gloriæ, quibus naturaliter est debita ea visio. Ad 3. nego, quia cum subsistentia connaturalis sit proprietas naturæ, repugnat, quod ulla divina subsistentia, seu Personalitas, sit proprietas naturalis ullius creaturæ: ergo repugnat, quod ulli creaturæ connaturaliter debeatur unio hypostatica cum aliqua persona Divina. Ad 4. nego etiam sequelam, quia licet ei creaturæ possibili deberetur naturaliter sanctitas, sicut complexo ex intellectu, & lumine gloriæ (advertite me in hoc exemplo non loqui de intellectu, qui per lumen supernaturalizatur; sed de complexo toto, ac integro, quod utique non supernaturalizatur reflexè) debetur visio beatifica, adhuc maneret extranea respectu DEI, ergò nec per unionem, nec per identitatem includeret naturam Divinam; ergò adhuc esset Filia DEI mere adoptiva: Concilium Francofurt. & Apostolus loquuntur de rebus prout contingunt in hac Providentia, item excludunt

dunt debitum inviolabile. Debitum vero, quod nos dicimus esse possibile, est omnino violabile per DEUM, quippe licet vox *Debitum* quoad nos sonet obligationem vel quid simile; quoad DEUM id

non significat, quoniam eadem sanctitate, ac facilitate, qua DEUS illi indulgeret, renuere poterat. Præterea alia passim obvia.

DISPUTATIO SEXTA.

De Gratiâ Sanctificante.

Cum sine hujus Gratiæ veste nuptiali nemo unquam Angelus, purusvè homo fructus vel fructurus sit convivio cœlesti, hoc est, æterna beatitudine: hæc de causâ post disputatam illam, de Gratiâ Sanctificante disputabo, neque omnia polliceor, quæ hic discuti solent, in longum quippè, abiremus; sed quæ magis ardua videntur examinabo capitibus quatuor.

CAPUT I.

Existentiâ, & octo attributa hujus Gratiæ.

I. CUM in nobis ipsis frequenter experti simus operationes valde sublimes respectu operationum brutorum, inde arguunt Philosophi inesse nobis intrinsicè principium aliquod permanens elicativum illarum: Undè concluditur inesse nobis rationalem Animum, tamen numquam oculis, aut alio sensu illum perceperimus: excelsius namque sensibus assurgit mens, & ratio. Similiter cum in hominibus experiamur jugem tenorem operandi, & loquendi sapienter, concludimus inesse illis aliquid, quod sit ratio formalis & immediata sapiendi, & hanc vocamus sapientiam, quamvis numquam illam formaliter in seipsâ videamus, sic de aliis, & sic de Gratiâ sanctificante. Nota sanè est illa vox Augustini. *In homine carnali tota regula intelligendi est consuetudo cernendi. Quod solent videre credunt; quod non solent, non credunt.* Fide novimus esse homines sanctos, gratos, & amicos DEI; Fatemur namque in Symbolo, *Unam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam*: Ergò oportet fateri, esse aliquid in rerum naturâ, quod sit ratio formalis, & immediata faciendi illos sanctos, & amicos

DEI, quamvis nullo sensu tangamus rem tam excelsam. Hoc aliquid est, quod vocatur *Gratiâ sanctificans*, *Gratiâ habitualis*, & multoties etiam, *habitus charitatis*, seu *charitas habitualis*. Hæc pretiosa forma semper est justificans in actu primo, & quoad sufficientiam, quia per semetipsam est capax mundandi à lethalibus, si præcesserint in animâ illa; aut cum non semper præcedant, hæc de causâ plerumque, sed non semper, Gratiâ sanctificans est Gratiâ justificans in actu secundo, & quoad efficaciam. Undè Angeli, & B. V. MARIA habuerunt quidem Gratiâ sanctificantem; sed non Gratiâ justificantem in actu secundo, cum non transferint à statu iræ, & indignationis ad statum adoptionis DEI.

II. Primum ergo prædicatum hujus Gratiæ est esse participationem Divinæ Naturæ. Nam à Petro dicitur: *Ut per hæc efficiamini divina consortes naturæ.* Sed hoc non convenit ulli alii ex eis donis, nisi huic Gratiæ. Nam illa omnia & singula dona accidentaliter, non sunt ex se, saltem formaliter, impossibilia cum lethali: ergò hæc sola Gratiâ inter maxima illa, & sublimia dona, est participatio Divinæ Naturæ.

Secundum. Esse oppositum cum omni lethali tum habituali, tum originali, tum personali, tum commissionis, tum omissionis: *Quæ enim participatio Justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas Inci ad tenebras. Quæ autem conventio Christi ad Belial?* Quæ verba multo magis & majori cum proprietate urgent contra consortium Gratiæ, & lethalis, quam contra illud matrimonium Fidelis cum Infideli, quod infectatur Apostolus.

III. Ter-